



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 16. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. v. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

ô infelix mercator & animam & corpus tali mercatura mittis in gehennam!
non vides quid agas?

O Domine, impertire mihi obsecro gratiam, ne unquam ita cæcus fiam,
aut avarus, ut argento vel auro tuam iustitiam divendam. Firma ani-
mum meum in bono, ne vel pro millibus millenis coronatorum vel etiam
pro luctando toto mundo iniquitatem operer, vel minimum peccatum ve-
lim committere, quid enim mihi proderit omnia & me ipsum una per-
dere!

§. 16. Et exinde quarebat opportunitatem ut eum traderet. v. 16.

Vilis profecto animus fuit ille, qui tan. vili & parvo pretio voluit vende-
re vitam, non simplicis cuiusdam hominis, aut alieni, sed Prophætæ, Dei &
magistri sui in vindictam reprehensionis non in unum seorsim intortæ, sed
in communem discipulorum massam, & quidem tam leniter quam sonant
hæc verba: *quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me:* quid o-
ro mitius potuit dici à Domino? qui docebat discipulos veritatem & inten-
tionem mulieris patefaciebat, pro ipsorum quiete: sed quid? Malitia homi-
nis tanta est & superbia, vel livore semel concepto remittere nolit vindictâ:
sed malit petire, dummodo noceat.

O Deus, præsta mihi hanc gratia in ne unquam vi divitiarum, aut hono-
rum aut dilitiarum aut livoris eo usque deducar, ut te, vel proximum
meum offendere quo vis modo sive in omnibus bonis fortunæ, sive corpo-
ris mediter, sed è contra benefacere semper.

§. 17. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: ubi vis
paremus tibi comedere Pascha. v. 17.

His ita se habentibus appropinquabat dies prima azymorum: boni ergo
discipuli & solliciti de Paschate servando juxta morem Iudæorum & præ-
ceptum Dei in lege Moyfis servando, Magistrum interrogant, ubi vis pare-
mus tibi comedere Pascha? quasi dicerent: Iudæi hoc festo imminente se præ-
parant ad Pascha celebrandum. Nos Iudæi sumus, & mādato Dei obedien-
tes, indica igitur nobis locum ubi vis paremus hospitium, in quo per festivos
dies morari possis, & inibi manducare Pascha, multi enim hospites difficilia
reddent diversoria: ecce stamus accincti, tu modo jube, & factum pura, vere
boni discipuli & Dei amantes & præcepta ejus custodientes, non uti Iudas
ille proditor Deo invidabant & servire detrectabant, sed Domino suo bene
volunt & servire desiderant. Et ecce quam dispar exitus etiam & merces! hi
modo gloriantur in Cælis apud Dominum suum & sanctos eius, ille dam-
natus cruciatur apud inferos cum diabolo & angelis eius. D.